

*Z*

DANIELIS

EITHNERI

Wolâ-Silesii

HERACLITUS.

S I V E

Suspiria & lachrymæ.

Ad Lectorem Candidum.

Vivere multorum est bibere atq; edere.

Ast bone Lector

Est ridere meum vivere, flere meum.



LIGNICI Typis

Sartorianis.

M. DANIELI EITHNERO  
POETÆ TER SISSIMO,  
AMICO MEO.

**M**Elculum, DANIEL amice, Phœbi,  
Corculum DANIEL novem So-  
rorum,

Nî te plus oculis meis amarem,  
Nunc te plus oculis meis flagrarem;  
Dum tui LACRUMAS lego Cerébri  
Doctas juppiter! & laboriosas,  
Quæs ornas meritos-benè & merétes.

O quàm blandiloquétulæ Camenæ  
O quàm melligenæ tuæ Camenæ!  
Totus in lacrumas liqueſce tales,  
Tales inque Elegos liqueſce totus,  
Tum circa geminū Daphnæa tempus  
Te laurus faciet BONUM POETAM.

Ægro animo & manu  
ſcribebam,

M. CASPARUS STEUBIUS  
Pastor Neostadianus,

VIRO Nobili & Amplissimo  
Dn. MATTHIÆ BIELCZERO à Bilitz,

Consuli Neostad. meritissimo &c.

Vivendo morienti, & in meliorem illam vitam in  
horas abituriens :

Dno. & Patrono suo multis nominibus honorando SAL.  
& Tumulum serum D.

VEtus est verbum, & ipsissimum non Sibyllæ, sed  
J E H O V A folium :

Mors certa, hora ejus incerta.

Ex quô summæ necessitatis, sed & Pietatis esse vide-  
tur, ut mortalitatis ille Candidatus Homo (ex consili-  
o Sapientissimi Senecæ) Mortem omni loco & tem-  
pore expectet. Hoc autem TE, VIR Nobilissime, seriò  
facere, vel ex eō, patet, quod cryptam & capulum æ-  
neum non exiguō sumptu tibi iamolim prospexit:  
& ita funus (ō rem rarissimi exempli !) ipse adhuc  
vivus mortuo tibi adornatum ivisti.

Et hinc est, quod Ego præter morem, in Tumulum  
hæc qualia- qualia Tibi scripserim : ne scilicet adum-  
bratae funeris tui pompæ quid deesse videretur. Nec  
dubium mihi est, quin illa ipsa, & in eis filiale cor-  
dis mei adfectum, promtâ manu exceperis, & eodem,  
quod sepulchrum tuum & loculum nuper videras, id  
est, forti & lato animo & oculō, legeris & relegaris.

Quod supereft, DEUM in omnia potentem seriò o-  
ro, ut TE, VIR consultissime, CHORO & FORO no-  
stris adhuc diutissime superesse velit, & Sepulchralem  
illam Mensam, quanvis stratam & paratam (ut Re-  
ctoris mei fratri verbis utar) EPULONE vel tria sæ-  
cula carere faciat. Tantis, Deus, annue Votis !  
Ita ad votum diutissime nobis, NESTOR alter, valeas,  
meq; Tui & Tuorum Cultorem, solito amore com-  
plecti pergas. Scribebam Neustadii Superioris Silesiæ,  
ex ædibus SCULTEI ut Theologi ut Poëtæ optimi,  
1. Maij. ANNO M. DC. XV.

DANIEL EITHNERUS.

Scholæ ibid. Collega.

TUMULUS  
Viri Nobilissimi  
MATTHIÆ BIELCZERI  
Sen. Consulis Neostad.  
à pl. annis meritif-  
simi &c.

**H**AC habitaturus MAGNUS BIELCZERUS in um-  
Illud patrii delicum populi (brā est;  
Cui favor indulxit Naturæ pluria: Cujus  
Assiduus meruit plurima dona labos.  
Qui Magni criticas BALDI possederat Aures:  
Et lingvæ multum Nestoris omne senis.  
Qui LIBERTATEM Patriæ sudaverat Urbi,  
Dignior aurivomō quæ solet esse Tagō.  
Qui patrīm doctā rexīt ratione LYCEUM:  
Et meruit patrio dicere jura foro.  
Qui turrem Templi tenues eduxit ad auras:  
Atq; novem fecit pulchra habitacula Deis.  
Qui geminas peregrina morantes lumina portas:  
PUBLICO & exstruxit plurima recta BONO.  
Qui semper totis in id unum viribus ibat,  
RE Patria ut posset nomen habere suum.  
Et faustō hoc ipsum dederat conamine factum:  
Nam quod NEUSTADIUM dicitur, esse solet.  
Osint, qui cunctos Mundi servare per annos  
Præsens Neustadii nomen & esse queant!  
Hoc imo mecum, LECTOR, de corde voreto,  
Atq; tuum MORTIS CERTUS abito viam.

---

Super

Super Funus  
VIRI CLARISSIMI  
FRIDERICI TAUBMANNI  
Franci,

Pœseos & humanioris literaturæ in almâ  
Witebergâ Doctoris publici.

**O**ssa, meros loqueris lapides. ô OSSA ! quid ossa  
TAUBMANNI gelido sunt tumulata solo ?

TAUBMANNI ? Albani decus immortale LYCEI,  
Qui fuit Os Charitos, Palladis & cerebrum.

TAUBMANNI ? Civis Grajæ Latieq; loquela,  
Qui fuit Ebree Lexicon atq; Canon.

TAUBMANNI ? qui Plautum errorum nube sepultum  
Solares rursus cernere fecit equos.

TAUBMANNI ? cuius potuissent dicta jocantis  
CRASSOS & STÓOS exhilarare senes.

TAUBMANNI ? quævis loquitur quem terra Pöetam,  
Ipsius & rutilo Carmina digna polo.

Miror, & indignor, Parcas, vix nomine dignas,  
Parcere tam MAGNO non potuisse VIRO.

Sed credo invidiâ Phœbum flagrasse Poetae,  
Atq; tali Parcas ære animasse neci.

Scilicet in vivis si longius ille fuisset,  
Audisset doctis Phœbus Apollo Viris.

Quid tum ? quod nullus vivens audire valebat,  
Audiet id nomen mortuus in tumulô.

Scilicet id curaturus RODEBURGIUS, ille  
VIVENS Aonius BIBLIOTHECA Viris.

Illius Hic jussu CINERES SALVERE jubebit  
Vates illustri publicus è Cathedrâ.

O mea

O mea Lux, mea Lux! mea, Phœbe Columbe, Voluptas!  
Cui jure adscribo Carminis omne mei.  
Quam vellem de TE fastis condigna futuris  
Dicere! sed Musa cum ructore fatus.  
Ergo unum, TAUBMANNE, ino de pectore natum  
Verbum sufficiat ingemisse: VALE!

### TUMULUS EJUSDEM.

**H**Ec jacet insignis TAUBMANNUS gloria Phœbi,  
JESSÆUS grata Rex Pietate Deo.  
Ingenio PLAUTUS: CATO vultu: LIPSIUS ore:  
Iudicio CÆSAR: Carmine VIRGILIUS.

---

Ad

### CHRISTOPHORUM REUSNERUM Obitum Matris charissimæ lugentem.

**S**cilicet in nostri peccarem Numen Amoris:  
REUSNERE, antique nomen Amicitiae;  
Si non in lacrimas tecum nunc largius irem,  
Et flerem Matris tristia fatuæ.  
Immo piis illius iniquus Manibus essem,  
Si non libarem quid lacrimæ tumulo.  
Nam, qui debebam viventi justius omne,  
Quod debet Matri filius officii;  
Nunc non deberem defunctæ justius omne.  
Quod debet Matri filius officii?  
Ergo nos inter lacrimis certabimus ambo:  
In lacrymas abeat quidquid erit cerebri.  
Sit scelus; atq; ultrix hujus Rhamnusia; siccos  
Cum posthac nostros viderit esse oculos!

Sed

Sed quorsum in tristes jurata hæc fæderæ flœtu?  
Hi Matrem ad Vitam nunc revocare queant?  
Ipse quidem multos vidi deflere sepultum:  
Sed vidi nullos, hoc animare Virum.  
Es quæ defunctum flendi esset causa parentem?  
Quæ gaudens summâ vivit in arce poli?  
Annon felicis lacrimari gaudia Amici  
Mortalis signum desipientis erit.  
Ergo ut dementes nobis caveamus Orestas,  
Nos miseris vacuos testibus esse decet.  
Et magis ethereas Matris gratarier ædes  
Mânibus: & parem Corporis exsviis!  
O salve Mater REUSNERI sanguine! salve  
EITHNERI meritis altera jure Parens!  
O Mater nostri amborum salve, vale!  
Perpetuum salve, perpetuum, vale!

## TUMULUS HEDWIGIS REIMANNÆ:

Quæ fuit  
fulgens Virtutum Matronalium  
Speculum:

Et

Unicum CASPARIS ROSMANNI  
Illustr. Quæstoris Lignicens.  
Delicium:

NUNC

sangvisugum Ejusd. Cordolium.

H Eic jacet HEDWIGIS REIMANNA! insigne  
Doctæ spectamen Conjugis atq; pie. (maritum  
Quæ

*Quæ primūm fuerat REUSNERO nupta marito:*

*Cui Mater dederat pignora multa Patri.*

*Pōst; ubi dura Viri desleuit funera; nupsit*

*ROSMANNO, Ligii quem fovet Aula Ducis.*

*Quem Patrem Natō dumtaxat fecerat unō.*

*Nominis Hic patrii ēst, indolis & patriæ.*

*Si nulla Hic unus faceret discrimina Gnatus,*

*Nesciret primo Hoc cedere Conjugium.*

*Ipse tuam nunc perge Viam, bone Lector: & opta,*

*Vt bene tam rare Conjugis ossa cubent!*

---

*Super Funus*

**GEORGII OTTHONIS, Neostad.**

*Pastoris prope Patriam Leu-  
beriani dignissimi.*

**Q**uid subtile tuum jactas, STAGIRITA, cerebrum?  
Pulvis es, & factus pulvere, pulvis eris.

**Q**uid, TULLI, ora geru Latio sublata lepore?

Pulvis es, & factus pulvere, pulvis eris.

**Q**uid, MARO, divino tumefactus carmine spiras?

Pulvis es, & factus pulvere, pulvis eris.

**Q**uid propter Claves Cœli, LUTHERE, tumescis?

Pulvis es, & factus pulvere, pulvis eris.

**Q**uid sic juridicis te, BARTOLE, legibus effers?

Pulvis es, & factus pulvere, pulvis eris.

**Q**uid medicis felix curis, GALENE, superbis?

Pulvis es, & factus pulvere, pulvis eris.

**O**mnia sunt pulvis: sunt omnia pulvere facta:

Omnia sunt pulvis: omnia pulvis erunt.

**E**cce mei exemplō patet hoc OTTHONIS Amici!

*Quo mihi vix vivō charior alter erat.*

H  
His

Hic erat ingenuas studii septemplicū artes  
Sedulus Aonii doctus ab ore Dei.  
Enthea ( vah ! ) quantā per agravit BIBLIA curā !  
Una & sanctorum vivida scripta Patrum !  
Hinc stans Orator sacrae in ponte Cathedrae  
Devoti potuit os meruisse gregis.  
Terrebat tumidos divini fulmine verbi :  
Sed miti timidos ore levabat humō.  
Non tamen & studiis & tot virtutibus auctus  
Mortiferas potuit effugere ille manus.  
O OTTHO ! ambrosium multis mihi nomen ab annis,  
Cujus ad auditum semper Ego exsilui.  
Quām vellem, in nostras posse has Virbius oras  
E tenebris tumuli morte redire meā.  
Sed, scio, Cœlestis derides terrea Civis:  
Et desiderii flammæa vota mei.  
Non, tibi si Crœsi numerarem millia Regis,  
Mutares nostrā Cœlica tecta domō.  
Ergo divinæ sedem Tibi gratulor Aulae ;  
Et tot Te ereptum, & talibus, esse modis.  
UNA TRIAS faxit, quondam feliciter, illam,  
Ad sedem ducens nos quoq, eamus iter !

---

In obitum præmaturum,

Viri Consultissimi

BALTHASARIS SCHLOSSERI

Consulis Plesnensis dignissimi.

I Nunc, & multas aude promittere luces  
Ipse tibi: aut multis lucem præ lucibus unam.  
Lucem autem? multis unam præ lucibus horam.

Vnum

Vnam horam? immò unum saltem punctum unius horæ.  
Unum punctum? unum volucris modo luminis ictum.

Flos & spectamen juvenum, SCHLOSSERE, virorū,  
Sed quondam, heu! lētis quasi flos Hyacinthus in arvis  
Messoris curvi succisus acumine ferri,  
Nunc marces duro deceptus pollice Mortis.

O Vulnus pallens! o tormentarie pulvus,  
Qui Te crudeli potuit dimittere letho!  
Qui PLESNENSIS eras Civi spectamen honesti,  
Illius atq; sedens in primō pompa Senatu.

Infelice manu fusa est bombarda! sed & tu  
Infelix, qui non medicatus cautius ægro;  
Adfectæ & validò sclopeti robore dextræ  
Tempore non nōsti gelidam defendere flammam,  
Hujus & Os ignis nullā sopire medela,  
Est Cui forsitan apud Medicos incensio nomen.

Oppidulum ZÜLTZ est, vulgari nomine dictum,  
Quod regit imperii frenis PROSKOVIA VIRTUS.  
Tale quidem, ut magnos tumida non addere flatu,  
Nec Civi posset pudibundo adferre ruborem.

Huc ille officii causâ volat advena CONSUL,  
Atq; cavô mittit Iovialia fulmina tortu.  
Mittit: & (in partes bombardâ pulvere sectâ)  
Adficit insigni non cautam vulnere dextram.  
Quam gelidus paucis invaserat ignis ab horis,  
Qui brevè nativi migraverat omne calorū,  
Et radicales vitæ decoxerat undas.

Heu miseris hominum Vitas, plerasq; malorum!  
Spes erat optatum cum fratre p̄e omnibus unum  
RHÜDIGERI adfines Hunc Sponsi cernere tēdas.  
Spes erat. Ast cunctos Spes hæc elusit biantes.

En

En qui magnificis indutus vestibus ipsi  
Divinam Sponso Comes exspectatur ad Aram,  
Hic jacet exanimis ferali extensus amiclo.

Et qui, praelucente faciem ipsi forte ministro,  
Cetera surdarum ad taratantara rauca tubarum,  
Deberet primas cum Sponsa agitare Chorreas;  
Et veteri plenis pro ritu spargere palmis  
Dura nucum molli socii pro vellere lecti:  
HIC jacet umbriferâ ( miserum ! ) resupinus in urna,  
Officio pedis atq; manûs, atq; æthere cassus !

Quid tibi mentis erit, tam duri nescia fati,  
O Conjurx ! quem omnes redditum credis in horas,  
Pallida defuncti cum Conjugis ora videbis?  
Credibile est; udis hæc humectabis ocellis,  
Atq; hæc fors misere clamabis verba querela:  
O mea Lux, Conjurx ! mea summa atq; una Voluptas !  
Siccine solus abis, viduam post terga relinquens?  
Ah saltim in proprio Communi more cubili  
Finisses inter mea brachia & oscula vitam !  
Me miseram ! qua non est infelicius ullum  
Uxor spectamen, obit qua Vesper & Eos.

Sed MULIER ( satis est ) verborum talia perge,  
Et moderare tuos ex sacris disce pagellis  
Adfectus, & VELLE DEI laudare memento.

Si non passer avis vestiti frugibus agri  
Pernicies: non una pili cadit umbra: tremendi  
Ille DEI pulchra vestitus imagine Mundo  
Illius dictus Jova possessor ab ipso,  
Ejiceretur HOMO, cura sine Numinis ulla?

Qui TE pacifico thalami consorte beavit?  
Nemus Deus curans socialia iura? quid ergo

Huic.

Hujce reposcenti Te illum cum murmure reddis?  
Mancipio Coniux nulli datur, omnibus usu.  
Ast alia ille Deo reddendus morte fuisse,  
Inquis? Sic voluit redi Deus ille bonorum  
Cuncta bonus, Bonitasq; ipsa. Et non liber ab omni  
Ille mali culp? Folum recitabo Sibyllæ:  
Aethereis nullum mortis genus inserit astris,  
Una & vera Fides præstat morientis id unum.  
At tu tranquillâ, SCHLOSSERE, quiesce sub umbrâ:  
Talia dum clamet supremæ ille Arbitr Aule,  
Surgite vitales defuncti ad luminis auras.

---

### TUMULUS

### URSULÆ

HENRICI STEPHANI  
Senatoris Neostad. quasi quatuor an-  
norum Filiolæ.

**H**Ec minor HENRICI STEPHANI sita filia  
natu est!

Quæ fuit & Matris deliciumq; Patris.  
Hinc quod non parvum foveant sub pectore  
Vulnus,

Hoc credo dubium credere Carneaden.  
Nam Nati veniunt ipso de Corde Parentum,  
Atq; solent rursus hunc remigrare locum.  
His tu, LECTOR, abi: sed & ex hoc funere disce,  
Quod faciant triples funera mixta Deæ;  
Nempe solent Natos æquè atq; necare Parétes,  
Imberbes juvenes non minus atq; Senes.

---

*Ad Effigiem*

**S U S A N N Æ**

**P E T R I S C U L T E T I , Diaconi Neost.**

*& P. L. C.*

*ut prime & unicæ, ita desideratissimæ Filiolæ.*

**H**ec primi gelidū Sculteti pignoris Os est  
Egregiâ pictum post pia fata manu.  
Si foret hâc Morbi facies expressa tabellâ :  
Quis, quæso, siccis cerneret hanc oculis.

*Ad Eandem*

**M. A B R A H A M I P A R I C I .**

**S**U S U L A , picta Homula es: potius picta An-  
gelus esses:  
Dum mortalis eras, hic tibi vultus erat.  
Non - Hominem sed Pictor-homo quis pin-  
geret, ipsos  
Per Cœlos CHRISTI sanguine picta nites !

*TUMULUS EIUSDEM.*

**V**Is cubat, hōc tumulo Sculteti prima  
Parentis:  
Indole quæ Genitor, nomine Mater erat.  
Ad Cereale solum prandenti utriq; Parenti  
Inscia læticiæ semina grata dabat.  
Omnibus arrisit: nullas fastidiit ulnas:  
Placatum blandō reddidit ore Patrem.  
Hujus & illius lingvæ quasi gnara loquentis  
Auribus arrestis singula verba bibit.  
Sed verbo dicam: talem se præstirrit: omni  
Ut saperet (dici quod solet) ante diem.

*Et*

Et primō, LECTOR, mirare hanc flore perēptā?  
Ante diem moritur, qui sapit ante diem.  
Verū esto hæc hominum; melior sententia  
Jovæ est:  
Non moritur, moritur qui pius, ante diem.

---

### TUMULUS

DANIELIS EITHNERI  
Consulis olim Wolaviensis ab annis  
complurib. meritissimi;  
Et Matrone laudatissime  
BARBARÆ &c.

Avorum meorum oculissimorum.

**H**ec positi EITHNERUS dulci cum Vxore quiescūt:  
Splendida pacifici lumina Conjugii.  
Ille erat antiquæ fidei spectamen & oris:  
Atq; Boni exemplar Consulis atq; Viri.  
Hæc erat atq; DEI, atq; sui studiosa mariti:  
Vicinæ hæc eadem nescia litis erat.  
Pluria non dicam suspectus sangvine Vates.  
Sed debet patrium dicere plura solum.  
Quod superest, MAGNI placide dormite PARENTES,  
Angelico donec Vos vocet ære Deus!

---

### TUMULUS

JOHANNIS EITHNERI  
Civis Wolaviensis & Pa-  
trui mei optimi.

Heic

**H**Ec jacet EITHNERUS vix mascula prima Parentis;  
Cui magnum in magnō corpore robur erat.  
Non tamen etatis mediō VIR flore valebat  
Fæmineam Clothū effugere ille manum.  
Nunc quovis lubitum fuerit tibi perge locorum,  
Magnaq; luctifici robora nosce Dei.  
Sed prius ex imō mecum dic corde, VIATOR:  
Ut bene WOLAVICUS hac cubet HECTOR humō!

---

**T u m u l u s**  
**D A V I D I S E I T H N E R I ,**  
Civis Wol. primarii, & Ptocho-  
trophéi ibid. Praefecti,  
Patris mei desideratiss.

**H**ec habet EITHNERUS sua busta! utriusq; Parens  
Delicium: & Patrii non leve nomen agri.  
Ut conformis erat Iesseo nomine Vati,  
Sic probitate fuit; sic pietate fuit.  
Hic hilarem mixta referebat fronte Catónem:  
Optimus & linguae Rex erat ipse sue.  
Hic miseri patulas ad vocem pauperis Aures  
Præbuit, & letas in sua dona manus.  
Plura fuit: verum Gnatus non pluria dicam:  
Nam suspecta fides sangvinus esse solet.  
Illa tamen, LECTOR, tibi puria scire volenti  
Dicet sincera PATRIA TERRA fide.  
Interea Charum mecum salvere Parentem  
Ipse jube: æternos atq; valere dies!

---

**T U M U -**

Tumulus  
DANIELIS EITHNERI Breslæ  
*è despectu præruptæ domus in tenebris  
prolapsi; & Ejusdem Patrui mei  
charissimi.*

**H**ec cubat EITHNERUS veræ Probitatis  
alumnus;  
Insuper insignis Civis imago BONI.  
Qui noctū surgens stratis in strata viarum  
Præruptā lapsus hospitis æde sui.  
Non tamen infirmi Cœlestem Corporis Aurā  
Saxosō elisit protinus ille locō.  
Sed miserō proprias vultu deductus ad ædes  
Reddendam Jovæ reddidit ille Animam.  
Tu quicunq; vides gelida hæc monimenta,  
**V I A T O R ,**  
Eximâ hos Cineres mente valere jube!  
Nec facile ignotum nocturnus linque grabatū.  
O felix, damnô qui sapit alterius!



TUMULUS

Univ. Bibl.  
München